ret in ſolitudine ſua S. Hieronymus?

bus obrutum, jejuniis, vigiliis, jugibuſque auſterioris pœnitentiæ exercitiis confectum ſupplere poſſe moleſtis occupationibus, quas zelus erga Eccleſiam, caritas erga proximum, & nominis celebritas illi afferebat. Illius in Sacram Scripturam Commentarii, ſacrorum codicum verſiones, quas adoptavit Eccleſia, tractatus dogmatici adverſus Hæreticos, epiſtolæ ſolæ, quarum ſingulæ integro libro æquivalent, & quæ continent puriſſimam, atque defœcatiſſimam Chriſtianæ Religionis diſciplinam, ſatis ſuperque fuiſſent ad vitæ licet diutiſſimæ tempus abſumendum. Nominis ejus celebritas cum in dies ſingulos augeretur, conſulebatur ab omnibus Orbis terrarum provinciis. Ad illum confluebant tanquam ad Chriſtianæ religionis Oraculum; omnes ad illum confugiebant, tanquam ad unicum Eccleſiæ doctorem. Ii etiam, qui genere præſtabant, ad eum mittebant filios ſuos, & qui Telluris Sanctæ iter aggrediebantur inter prima ſuæ pietatis officia recenſebant, adire Bethlehem incomparabilem Hieronymum viſuri. Tot licet inceſſantibus negotiis deſtineretur, præcipue Scripturarum ſtudio vacabat. Nemo melius agnovit meritum, & momentum operum ejus, quibus de Eccleſia bene merebatur, quam S. Auguſtinus, qui ad illum ſcripſit quid de ipſo ſentiret, eumque hortatus eſt, ut inceptum opus ſine intermiſſione compleret. Noſter igitur Sanctus Doctor de Hebraico ſermone, in latinum tranſtulit libros omnes veteris teſtamenti; ex Chaldæo vero libros Judith, atque Tobiæ. Ante id tempus ad Damaſi nutum emendaverat latinum Pſalterium antiquæ verſionis Italicæ, juxta Septuaginta lectionem, a Luciano factæ. Corrigebat etiam novum Teſtamentum ſecundum Græci fidem. Denique dedit Eccleſiæ Græcam verſionem juxta ſeptuaginta. Ejus in Scripturas commentarii non minus admirabiles ſunt, quam ejus Verſiones, & jure ſuo dixit Eccleſia in officio diei feſti Sancto huic ſacri, a Deo hunc ſpecialiter electum fuiſſe, ut Sanctas Scripturas interpretaretur. Tacitus prætereo cetera incomparabilis noſtri Doctoris opera; declamationes, orationes, aliaſque infinitas elucubrationes, quarum ſi meminiſſe vellem, infinitus eſſem. *P. Croiſet in Aſceticis.*

S. Doctor unus omnium ævi ſui hæreticorum impetum ſuſtinet.

Sanctus Hieronymus quin e ſolitudine pedem efferret, omnium hæreticorum conatus ſuſtinuit, qui eo tempore in Eccleſiam inſurgere auſi ſunt: & ſicut in atræ nubis albo fulmina coaleſcunt, quæ deinceps magno cum fragore detonant, altioraque feriunt montium cacumina; ita in deſerto inſignis hic vir compoſuit omnia hæc ſcripta, quæ fulminum inſtar contriverunt Jovinianos, Origeniſtas, Pelagios, Rufinos aliaque ſexcenta monſtra, quæ omnes exerebant conatus ſuos, ut erroribus ſuis mentes omnes inficerent. *P. Texier.*

Quinam erant peculiariter illorum errores eorum quædam nomina?

Ut leviter quædam ſingillatim dicamus de iis Eccleſiæ inimicis, quos S. Hieronymus confudit, operæ pretium duco paullo fuſius attingere errores & nomina illorum qui inter ceteros enituerunt. Helvidius quidam, olim Auxentii Mediolanenſis Archiepiſcopi, & Ariani diſcipulus librum ſcripſit contra Deiparæ Virginitatem, aſſerens illam ex quo peperit Mundi Salvatorem, alios peperiſſe filios ex viro ſuo Joſeph, eos nempe, qui in Evangelio Fratres Domini appellantur. S. Hieronymus hunc referens, ruſticum hominem vocat, & vix primis Grammaticæ rudimentis imbutum. Aliquanto poſt inſurrexit quidam nomine Jovinianus, qui plures hæreſes docuit, & inter ceteras, nullum eſſe diſcrimen meritorum inter virgines, viduas, & nuptas: virginitatem nuptiis non eſſe præferendam; eos, qui vere baptizati ſunt, non poſſe amplius peccare, quin loquar de infinitis erroribus aliis, quos Monachus iſte Apoſtata commentus eſt. Monſtrum hoc confutavit Hieronymus duobus libris admirabili eruditione refertis, & hominis errores a Papa Siricio damnati ſunt. Hoc tandem vix proſtrato prodiit alius ex Hiſpania nempe Vigilantius Presbyter Barcinonenſis, qui Eccleſiaſticorum cælibatum damnabat, improbabat cultum Sanctis, eorumque reliquiis adhibitum: Vitam Religioſam increpabat, & nihil intentatum relinquebat ut Galliam inficeret erroribus ſuis; quæ ex Sancti noſtri Doctoris fide nondum aliquod ex hoc genere monſtrorum pepererat. S. Hieronymus in illum ſcripſit tractatum aculeis refertiſſimum, in quo illum inter cetera triformem vocat Gerionem. His hæreticis devictis, alius inſurrexit, cujus hæreſis eo fuit periculoſior, quod aſſerebat, Dei gratiam non requiri ad bonum faciendum, & Cælum promerendum, cum huic effectui ſatis eſſet liberum arbitrium cum ipſius naturæ viribus. Hic negabat etiam originale peccatum, ideoque Baptiſmum inutilem eſſe cenſebat. Contra Hæreſiarcham hunc tres libros edidit S. Hieronymus. Mox in ſcenam prodierunt Luciferiani, qui etiam S. Hieronymo ſtyli exercendi occaſionem præbuerunt. In hos librum ſcripſit in Dialogi formam: cumque hi Schiſmatici nollent in Eccleſia eos recipi, qui ſemel lapſi fuiſſent, quamvis errores ſuos ejurarent; & ex alia parte negarent Baptiſmum ab Hæreticis collatum, valere: Sanctus Doctor ſolidis argumentis oſtendit illis, peccatorem omnem pœnitentem, & ad Eccleſiæ ſinum revertentem expanſis ulnis excipiendum eſſe, idque probavit exemplo, quod nobis Salvator reliquit in Evangelio. Noviſſima S. Hieronymi certamina fuerunt contra diſcipulos Origenis, & Joannem Patriarcham Jeroſolymitanum partium eorum propugnatorem. Errores eorum damnati fuerunt in Concilio habito Alexandriæ a Patriarcha Theophilo; & Joannis Patriarchæ furor adeo in S. Hieronymum exarſit, ut edicto caverit, ne Paulinianus Sancti Doctoris noſtri frater pro Sacerdote haberetur. Dicere tandem poſſumus Hæreticis nunquam ullum magis infenſum extitiſſe, quam S. Hieronymum; quoniam eo vivente nulla erupit novitas circa fidem, quæ ſtatim ab illo non impugnaretur, & everteretur. Et aſſerere poſſumus æquiori jure, quam dictum fuerit de duobus ducibus Romanis, quorum alter habebatur Reipublicæ clypeus, alter vero gladius, ſanctum Hieronymum ſimul Chriſtianæ Reipublicæ & gladium, & clypeum fuiſſe: Nunquam enim Eccleſia neque tantum habuit propugnatorem, neque tantum, quem objiceret hæreticis Adverſarium; quoniam hi nomen, & umbram dumtaxat reformidabant. *P. Duneau.*

Perſecutiones, quas paſſus eſt Sanctus noſter.

Aſſidua pœnitentiæ exercitia, quibus Sanctus Doctor in ſeipſum ſæviebat, nequaquam fuerunt pœnæ graviores, quas pertulit in ſolitudine ſua. Multa illi perferenda fuerunt a Schiſmaticis Monachis, qui prope illius manſionem incolebant; qui videntes illum fideliter inhærere Communioni Eccleſiæ Romanæ, nihil intentatum reliquerunt, ut ei negotium faceſſerent. Hæc perſecutio eo uſque proceſſit, ut deſertum illud relinquendum eſſe duxerit & concedendum prope Jeruſalem, in cujus finitimis ægris aliquantiſper commoratus eſt, de ſolitudine migrans in ſolitudinem, cedens furori inimicorum ſuorum, vel potius Eccleſiæ. Parum aliquid fuit, hæc perſecutio; ſed alia longe violentior oborta illi eſt a Rufino, & potiſſimum a Joanne Patriarcha Jeroſolymitano, qui Origenis errores erant amplexi. Hi duo viri errores ſuos diſſimulare quærebant obducta zeli, & pietatis ſpecie: Sed perſonam illis abſtulit Hieronymus, qui in medium protulit errores Origenis; quamobrem Joannes Patriarcha tanto exarſit furore, ut de Sancto Doctore ultionem, ac pœnas quomodocumque repoſceret. Hunc igitur infeſtiſſime perſecutus eſt, tantuſque extitit ejus furor, ut illi anathema intentaret, eique præcluderet aditum Sancti Sepulcri; nihilque reliquit inauſum, ut in exſilium extruderetur; quod etiam contigiſſet, niſi adverſata fuiſſet ſancta Paula, cum qua Sanctus noſter conqueritur, quod illa auctoritate ſua fuerit ipſi patrocinata, & ipſum fraudaverit gloria exſilii propter veritatis cauſſam ſubeundi. Non defuit S. Hieronymo certamen aliud contra Pelagii diſcipulos: cum enim elucubratus fuiſſet opus ingens contra hunc Hereſiarcham, quo illius errores convelleret, Pelagius conqueſtus eſt ſe violatum vulneribus, quibus hæreſim ſuam Doctor noſter profligavit, ut licet hic auctoris nomini peperciſſet, crediderit ille ſibi detrahendam eſſe perſonam, nullamque menſuram cum Sancto Doctore ſervandam. Et ſicuti Hæreticorum genus cruentum eſt, ſtatuit inimico quomodocumque necem moliri. Clam igitur inito fœdere cum Joanne Patriarcha, qui fovebat adhuc vetus fermentum odii, quod contra S. Hieronymum exercuerat; Pelagius communicavit fervorem ſuum manui improborum, qui repente impetum fecerunt in Cœnobia, quæ ſancti Doctoris regimini parebant. Ibi fanda infandaque patrarunt omnia; duas domos vaſtarunt; plures utriuſque ſexus perſonas jugularunt: omnia late igni, ferroque depopulati ſunt, & S. Hieronymus nonniſi divinitus ex horribili cæde evaſit incolumis. *Pater Croiſet in Aſceticis.*

Perſecutiones, quas paſſus eſt ab Eccleſiaſticis improbis.

Cum inciderit ſermo earum perſecutionum, quas paſſus eſt Doctor noſter, operæ pretium reor rem altius repetere; quia in ordinem cogi ita poſſunt contradictiones, quas Romæ paſſus eſt per occaſionem regiminis nobilium Matronarum. Quemadmodum oblectabatur illis, qui virtuti erant præditi, ita minime parcebat illis, qui flagitioſam vitam ducebant, præſertim vero cum vitia publica erant, & ſcandalum afferebant. Hac loquendi licentia ſibi conflavit inimicitias, Romæ autem potiſſimum, ubi Eccleſiaſtici non utebantur ea modeſtia, & verecundia, quæ eorum ſtatum decebat. Homines iſti, ut mentem ſuam diſſimularent, & ne ſuam cauſſam agere viderentur, clanculum ædificarunt calumnias, illum nimiæ familiaritatis cum Mulieribus inſimulantes, idque ſub ſpecie illis explicandi Sanctas Scripturas. His acceſſit, illum libentius cum formoſioribus, & locupletioribus hoc facere conſueviſſe, tam ut libidini ſuæ ſatisfaceret, quam avaritiæ. Sancto viro re adhuc integra viſum eſt nequaquam ſcriptis ſe purgare ab injuſtis criminationibus, ſed illas patienter ferre potiuſquam permittere, ut ſibi negotium faceſſerent. *Gratias ago Deo*, inquit, *quod ſum dignus habitus, quem oderit Mundus: & pati propter ipſum.* Et alibi. *Utinam ob Domini mei nomen infidelium turba me perſequeretur! Utinam in opprobrium meum ſolidius inſurgeret hic Mundus: & tantum merear a Chriſto laudari! P. Duneau.*

Cæleſtes deliciæ, quas guſtabat S. Hieronymus inter auſteritates pœnitentiæ.

S. Hieronymus poſtquam nobis deſcripſit pœnitentiam, quam ille in ſuo agebat receſſu, Deum teſtatur, animam ſuam in hoc exteriori martyrio inveniſſe gaudia, & ineffabiles delicias; aquam fontis ſui, jejunium, ſpecum, cilicium tot ſibi attuliſſe voluptates, quot in aulis principum, & fallacibus ſæculi deliciis non reperiuntur. Se in hac parvuli terreni inferni ſpecie, verum inveniſſe paradiſum, atque inter myrrham ſuarum mortificationum guſtaſſe ſuaviſſima divini Sponſi thimiamata. *Ipſe mihi teſtis eſt Dominus poſt multas lacrimas, poſt Cælo inhærentes oculos, nonnunquam videbar mihi intereſſe agminibus Angelorum.* Poſt hoc Sancti Doctoris teſtimonium, mirum non eſt, quod Patres nonnulli dixerunt aquas pœnitentiæ manare ex fonte amaritudinis referto, videlicet ex corde contrito, ſed nihilominus adeo ſuaves eſſe,

eſſe, ut ſimulac conſcientiam irrigaverint, eam in parvulum terreſtrem Paradiſum converterent, ubi fructus vitæ inveni-tur; quod ipſum innuit Propheta his verbis. *Ponet deſertum ejus, quaſi delicias, & ſolitudinem ejus, quaſi hortum Domini: gaudium, & lætitia invenientur in ea.* (*Iſaias* 53.) Et licet Dei Verbum non eſſet hac in re adeo explicitum, S. Hieronymi experientia ſufficeret, ad perſuadendum, nos immerito conqueri de auſteritate pœnitentiæ, & ad docendum, nos in receſſibus noſtris, in jejuniis, in lacrimis inventuros eſſe pacem, quam fruſtra alibi inquirimus. *P. Texier.*

S. Hieron. ſe recepit in Bethlehē juſto conſilio ducendi vitam religioſam.

Concertationes obortæ in Eccleſia propter Origenis errores, impulerunt S. Hieronymum, ut in ſuaviſſimam ſolitudinem Bethlehem reverteretur, quo ſancta Paula, & ſancta Euſtochium jam pervenerant, & ubi Sancta illa Vidua duo ædificavit ingentia Aſceteria, alterum quidem pro hominibus, quo ſe recepit S. Hieronymus; alterum vero in tres communitates diſtributum pro mulieribus. Sanctus Doctor, cum jam ſtatuiſſet Monaſticam vitam ducere, cepit ſpirituale regimen domus utriuſque, ubi non ita contemplationis delicias guſtavit, ut non exerceret hoſpitalitatem, aliaque Chriſtianæ Caritatis officia; ut innotuit in occaſione quadam, quam illi procuraſſe viſa eſt Providentia. Hoc autem accidit, cum Gothi invaſerunt in Italiam; hi enim poſtquam omnes late Provincias depopulati fuiſſent, totius orbis caput cæde, & cruore compleverunt. Extrema vaſtitas, ad quam magna Urbs illa redacta fuit, ubi fovebat adhuc plures amicitias, cor illius confodit; & ſicuti in univerſali ea calamitate, unuſquiſque incolarum exiſtimabat, ſe magis incolumem futurum, ſi quam longius aufugeret; maxima multitudo navim conſcendit in Palæſtinam profectura, ut quam tutiſſima eſſet. Sanctus noſter, quæ facilius eſt conjectura, otiatus non eſt tot inter horrores. Venientibus Cœnobii ſui valvas aperuit, non ſecus ac proximi Xenodochii. Integros abſumebat dies excipiendis hoſpitibus, & ducta occaſione ex tanta calamitate illos erudiebat de mobilitate rerum terrenarum, de vanitate divitiarum, ſimul & corporeis, & ſpiritualibus neceſſitatibus ferens opem. Licet ille vitam hanc duceret tot laboribus, curiſque occupatam, non ceſſavit Hieronymus, quo minus ad fideles erudiendos plura lucubraretur opera in vetus novumque Teſtamentum, aliaque Moralia argumenta; & ſicuti ita occupatus erat, ut ne unum quidem vacuum eſſet illi momentum, quod Sanctarum Litterarum ſtudiis impenderet, inſomnis totas noctes impendebat ſtudiis. *Auctor recens.*

Mors Hieronymi.

Poſt tot ærumnas, vigilias, curas, laboreſque ad Dei gloriam, & Eccleſiæ utilitatem exhauſtos, Sanctus noſter, ut videtur, fructu laborum ſuorum perfrui debebat. Dies in jugi pœnitentia tranſegerat: Eccleſiaſticis dignitatibus nuntium miſerat, ut mundo ignotus in ſolitudine deliteſceret: exuerat etiam Doctoris qualitatem, ut illam pœnitentis aſſumeret, cumque minime poſſet immolare corpus ſuum ſacrificium pro proximo, ſaltem per exempla, ſcriptaque ſua veram illi oſtenderat viam, quæ ducit in cælum: & ecce tempus, quo Deus illum remunerari decreverat. Jampridem annis, & morbis & auſteritatibus confectus languebat; quas nonniſi in morte laxavit. Accedere vidit felix illud momentum, quo fruiturus erat laborum ſuorum fructu, magna cum tranquillitate, & voluptate, non ſecus ac Servus Evangelicus, qui fide ſumma credita ſibi talenta in lucro poſuerat; cum profunda pace præſentiam Domini ſui præſtolabatur. Gaudebat jam in anteceſſum prægustatione gloriæ, ad quam jus habet ſanctitas ſola, & corpore hoc tam aſperis mortificationibus ad maciem redacto, cedente tamen infirmitate, ſacris refectus myſteriis, plenus dierum, & meritorum, reddidit animam Deo, poſtquam annos ultra quadraginta traduxiſſet in ſolitudine, & auſteriſſimæ pœnitentiæ exercitationibus. *Auctor recens.*

Quomodo ex hujus exēplis proficere debeamus?

Sed quem fructum percipere poſſumus ex inſignis hujus Sancti vita? Exemplis ejuſdem proficere, ſerio noſmet pœnitentiæ exercitiis addicendo. Duæ potiſſimum cauſſæ coegerunt illum, ut in deſertum aufugeret: Timor Judiciorum Dei, & cognitio imbecillitatis corporis ſui, & naturalis proclivitatis, qua ferebatur in malum. Non poſſumus ſatis ad vivum nobis exhibere duplicem hanc cauſſam, ut mortificationis exercitia amplectamur. Nonne præſtat hic in aſperrima jejuniorum ſeveritate vivere, dicebat ſibimetipſi magnus hic Sanctus, quam æternam damnatorum famem pati? Nonne æquum eſt, ut corpus hoc, quod eſſe deberet ignium æternorum pabulum, hic potius ſuſtineat urentes æſtatis ardores, & hyemis gelida frigora? Quot ex vobis dicere deberent æquiori titulo hæc Sancti Doctoris verba? Nonne eædem nobis adſunt cauſſæ, & validiores etiam quam illi pœnitentiam amplectendi, ac noſmet devovendi exercitiis mortificationis? Mirum, & quod vix poſſit intelligi! Amici tremendi judicis expaveſcunt, & contremiſcunt cogitantes ſe ad ejus tribunal prodituros eſſe, & nos qui ſceleribus obruti ſumus, tam ſecure vivimus, quaſi nihil nobis eſſet pertimeſcendum, & licet infinita patraverimus ſcelera, fortaſſe ne unam quidem fudimus lacrimulam? Finem faciamus noſtris flagitiis; pœnitentiam amplectamur, jejunemus, oremus, cilicio induamur; nihil unquam facere poſſumus ſatis ut mulceamus Dei iracundiam, quæ in capita noſtra lapſura eſt. Noſmet excitemus exemplis incomparabilis S. Hieronymi, ſi colligere velimus fructus illis promiſſos, qui non ſtrenue ſolum decertaverint, verum etiam cum gloria de ſalutis ſuæ inimicis egerint triumphum. *Auctor Recens.*

Idem ſequitur argumentum.

Exhibeamus nobis tandem S. Hieronymum in Palæſtinæ Deſerto, in prægalto ſpecu, quem ſibi pro ſede delegerat, ob oculos habentem Sacrum Scripturarum librum, facie pallida, & ad maciem redacta, corpore flagellorum ictibus livido, ac mente pavida ad clangorem tubæ in illius auribus perſonantis, eumque ad judicium Dei provocantis. Auſteri hujus pœnitentis ſpectaculum nonne eumdem in vobis terrorem ciet, quo ille correptus fuit? Salutaris hic timor deduxit illum in ſolitudinem, ubi procul eſſet ab occaſione peccatorum, quæ fortaſſe in extremo judicii die illi fuiſſent exprobranda. Sed Deſertum, quo ille ſeceſſit, tutum ipſi perfugium fuit contra ſæculi nequitias; immo etiam in hoc receſſu auſteram exercuit pœnitentiam, quæ non ſolum exemplo fuit pluribus, iiſque non inſignioribus Matronis Imperii Romani, quæ gloriæ ſibi verterunt eſſe diſcipulas, & ſancti Hieronymi imitatrices; verum etiam quæ celeberrima evaſit propter inſignis Ordinis imitationem, qui in Eccleſia inſtitutus fuit ſub auſpiciis, & nomine ſancti Hieronymi; qui Ordo efficiens, ut reviviſcat ſummi Doctoris hujus auſteritas, eam perennavit, & omnibus futurorum ſæculorum fidelibus commendavit.

PRO PANEGYRICO S. ELISABETH

Filiæ Regis Hungariæ, Duciſſæ Turingiæ & primæ Sanctimonialis Ordinis tertii S. FRANCISCI.

M O N I T U M.

SAncta Eliſabeth Turingiæ tot locis eſt admirabilis, & tot virtutum varietate refulſit, ut difficile ſit ſub uno dumtaxat titulo peculiarem illius characterem complecti. Quamobrem credidi, permiſſo iis, qui hoc elogium exornandum ſuſceperint, delectu argumenti, atque propoſitionis, ex iis quas in medium afferam, vel quas illi invenient, relinquendam eſſe ut illam repleant actionibus, & virtutibus Sanctæ hujus incomparabilis ſecundum varios ſtatus, in quibus vixit, & quorum ſinguli virtutibus, heroiciſque illius operibus connotati ſunt. 1. Tempus ejus pueritiæ uſque ad nuptias, quo pietas erga Deum, caritas erga pauperes, & praxis virtutum omnium, quæ eam decent ætatem, ac ſexum, ſummam illi conciliarunt admirationem. 2. In conjugio cum Landgravio Turingiæ inito, in quo claruit ingentibus eleemoſynis, & cura, quam ſuſcepit ægrotantium in Noſocomiis, & omni bonorum operum genere. 3. Poſt obitum viri ſui, atque in viduitate ſua; ubi ejus patientia ſæviſſimis tentata fuit perſecutionibus, & graviſſimis afflictionibus; & denique poſtquam in ditionem ſuam reſtituta fuit, voluntaria abdicatione omnium dignitatum ſibi oblatarum, ut amplecteretur ſtatum Religionis in tertio Ordine Sancti Franciſci, ubi quidquid in obedientia abjectiſſimum, quidquid in paupertate moleſtiſſimum, & in corporis ſenſuumque mortificatione aſperrimum eſt, adhibitum fuit, ut illa abſolutiſſimum fieret Sanctitatis exemplum.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Sermonum Synopſis hujus Argumenti.

Certamen forte dedit illi, ut vinceret, Sapient. 10.

I. NEqueo vobis proponere perfectiorem imaginem inſignis hujuſce Matronæ Principis, cujus memoriam hodierna die colitis, quam utendo verbis illis, quibus Sapiens antiquum Patriarcham Joſeph concelebrat: videlicet divinam Providentiam illum traducere voluiſſe per duos, atque varios ſtatus extremæ abjectionis, & altiſſimæ dignitatis, ut in utraque fortuna fieret conſtantiæ, & fidelitatis exemplum. *Certamen forte dedit illi, ut vinceret.* Hæc profecto duo ſunt magna certamina, juſtorum virtuti ſubeunda; duo pericula, quibus conſuevit Deus illos objicere, dignitas, & dejectio, copia, & egeſtas, & ea, quæ vulgo dicitur proſpera, & adverſa fortuna; namque affirmari poteſt illum, qui duplici hac tentatione probatus fuit, vere ſanctum eſſe, & magnum. Opus eſt vi prorſus non vulgari, ne quis perſtringi ſe ſinat divitiarum, honorumque nitore; ut ſtet in lubrico citra labendi periculum, atque ſuo inhæreat officio, quin abutatur auctoritate, quam ſublime genus, & Principis dignitas confert; quod ipſum in eodem Spiritu ſancto ciet admirationem: *Quis eſt hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita ſua.* (*Eccl.* 31.) Ceterum qua opus eſt animi magnitudine, quo fortudinis, conſtantiæque miraculo, non labefactari, neque dejici, cum de prioris fortunæ gradu aliquis deturbatur, ut ſuſtineat moleſtiſſimas vices, quin in querimonias erumpat, & ut Deo gratias agat in perſecutionibus, & malorum omnium incurſu? Hinc omnes admirati ſunt videntes fortitudinem, ac patientiam S. Job: ſed intueri Principem mulierem, Regis filiam, Supremi Principis uxorem brevi ab uno ad alterum gradum facere, & in utroque ſtatu conſtantem immobilemque fidelitatem ſervare, quin excidat aliquando, fatebimini, hunc verum eſſe heroicæ virtutis characterem, abſolutamque numeris omnibus ſanctitatem. Hoc ipſi in incomparabili Turingiæ Domina Eliſabeth intuebimur, quæ in utroque ſtatu ita præſtitit, ut aſſerere non verear hinc quidem pauciſſimos extitiſſe, qui in ſublimi, proſperaque fortuna uſi ſunt tot bonis ad majorem Dei gloriam, & majorem adhuc præſetulerint fidelitatem, inde vero pauciores, qui in ſubita rerum omnium immutatione inter tot mala majorem conſtantiam, & chriſtianam generoſitatem oſtenderint. En duo magna certamina, quæ illi ſuſtinenda fuerunt; & duo pericula, quæ illi adeunda fuere, ut ad altiſſimum Sanctitatis apicem perveniret: *Certamen forte dedit illi, ut vinceret*; & ſicuti duo hæc totam illius vitam partita ſunt, hunc etiam ſermonem partientur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c. Tomo Tertio Panegyricorum.*

II. *Omnia detrimentum feci, ut Chriſtum lucrifaciam.* Philipp. 3. Magnum quidem intereſt diſcrimen inter hominum judicium, & Sanctorum de Mundi hujus bonis ſententiam. Illi gloriam ſuam in eorum poſſeſſione, hi autem in eorum pro Jeſu Chriſto contemptu conſtituunt. *Non laudis eſt poſſidere divitias, ſed eas pro Chriſto contemnere*, S. Hieronymus inquit. Primi illi coram hominibus, hi vero coram Deo nitent. Poſſeſſio quidem ſemper favor eſt fortunæ, contemptus autem effectus eſt virtutis eminentis, & pietatis victricis, quæ ſuperat quidquid in mundo eſt magnificentius, quod eo glorioſius eſt, quo difficilius eſt ſervare hanc mentis ſuperioritatem, tot inter occaſiones illius amittendæ, quia S. Ambroſius ait, *eſt in auro viſcus, & in argento.* Sed ſi unquam hæc virtus refulſit, hoc accidit in Sancta Eliſabeth, quæ oſtendit ſe terræ hujus bona contempſiſſe; 1. Quia poſſedit illa, quin iis inhæreret. 2. Quia cum conſtantia eorum paſſa eſt detrimentum; quæ duæ erunt hujus ſermonis partes. *Biroat in Sanctæ hujus Panegyrico.*

III. *Propter quem omnia arbitratus ſum, ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam.* Ad Philipp. cap. 3. Honores, quos fortuna tribuit, perituri ſunt, & obnoxii mutationibus, ſed quos gratia confert, ſunt conſtantes, atque æterni. Hoc perſuaſum erat S. Eliſabeth; quandoquidem generoſe præfetulit Cæli divitias divitiis ſæculi, *propter quem &c.* Reſpexi, inquit, divitias, magnalia, & mundi hujus dignitates tanquam lutum, ut unius Chriſti Jeſu poſſeſſionem adeam. Genus ſuum illi contulerat non minimum Germaniæ principatum: divitiarum affluentia illius auctoritatem augebat, ſed omnia contempſit, & renuit regnare in Mundo, ut regnaret in Cælo. Sanctitas non hæret cuipiam ſtatui ſingillatim; ſtatus omnes illi conveniunt; neminem dedignatur, & recipit omnes. Fatendum eſt tamen illam non ubique clareſcere, & ſicuti nitidum diadema non æque in omnibus capitibus ex æquo refulget; ita Sanctitas in regio capite magnificentius renidet, quam in illius, qui terræ filius eſt.

1. Sancta Eliſabeth conſecravit magnitudinem ſuam optimo illius uſu.

2. Sacrificavit magnitudinem ſuam ejuſdem contemptu, & hoc pacto duo nobis inſignia reliquit documenta. 1. Inter opes, ac honores nos poſſe noſmet ſanctificare. 2. Tutius eſſe hæc relinquere, quam retinere, ubi Deus nobis eadem relinquendi mentem inſpirat. *Ex Specimine Panegyricorum.*

IV. *Mulierem fortem, quis inveniet?* Prov. c. 3. Cum imbecillitas eſſe videatur mulierum propria, non immerito Salomon fortem Mulierem ſimilem putat theſauro, cujus pretium raritas commendat; & ait traducenda eſſe maria, & adeundas maxime diſſitas terras, ut inveniatur, quæ nomen hoc mereatur. *Mulierem fortem.* Fortitudo autem a Spiritu ſancto non accipitur hoc loco pro bellica virtute, quæ nonnumquam ſummo in gradu refulſit in feminis, quæ ex communi conſuetudine ſexus ſui ſemet extulerunt; loquitur de fortitudine Chriſtiana, quæ neceſſaria eſt ad ſibi vim hanc inferendam, quam *Regnum Cælorum patitur*, & qua *violenti rapiunt illud.* (*Matth.* 11.) Hæc autem Chriſtiana fortitudo in tribus conſiſtit, in magnis virtutibus exercendis, in gravibus tentationibus ſubeundis, & in licitis etiam voluptatibus ſibi interdicendis. Abjectæ animæ ſeſe uſque ad virtutum apicem attollere nequeant; animæ ignavæ tribulationes, quæ a pietate ſejungi minime poſſunt, nequeunt pati; animæ delicatæ carere non poſſunt ſuavitatibus, licitiſque voluptatibus, quibus pietatis perfectio abrenuntiari jubet. Verum cum a Dei gratia proficiſcatur hæc vis, atque cum gratia hæc magis magiſque in infirmitate perficiatur, dicente Paulo, *virtus in infirmitate perficitur*; (2 *Cor.* 12.) mirum non eſt, ſi hic theſaurus Mulieris fortis, quam Salomon ævo ſuo conquirebat, communis factus eſt in Chriſtiana Religione, in qua tot Virgines conjunxerunt martyrii palmam cum liliis Virginitatis, & duas præcipuas Religionis victorias retulerunt. Profecto glorioſa ſancta Eliſabeth, cujus hodierna die celebramus elogium, hac duplici caruit corona. Sed alia certamina, quæ ſuſtinuit pro gloria Jeſu Chriſti, illi nihilominus Mulieris fortis nomen promeruerunt.

1. Fortis fuit in graviſſimis moleſtiis perferendis.

2. Fortis fuit in commodis, & voluptatibus ſibi interdicendis.

Eſtote imitatores mei, ſicut & ego Chriſti. (1. *Cor.* 11.) Dei V.
Filius tria præſtitit, ut Patrem ſuum glorificaret. Primum ſuæ abrenuntiavit magnitudini, quia egreſſus e ſinu Patris ſui, *Exivit a Patre*, & in hoc exitu omnem abjecit magnitudinem, & gloriam ſuam. 2. Venit in Mundum ut cum hominibus verſaretur. 3. Factus eſt hominum mancipium, ſervi formam induit, ac ſeſe ſubjecit eo uſque, ut hominum noviſſimo deſerviret. *Formam ſervi accipiens venit miniſtrare, & non miniſtrari.* S. Eliſabeth in tribus hiſce rebus Dei Filium imitata eſt. Reliquit magnitudinem ſuam, ac ſolium, quemadmodum Jeſus Chriſtus ultro reliquit thronum gloriæ ſuæ. Seſe recepit in Xenodochium, quod prætulit ædibus ſuis; ſeſe pauperem fecit, ſe omnibus expolians rebus, ad exemplum Jeſu Chriſti qui *propter nos egenus factus eſt*; (2. *Cor.* 8.) & quæ Domina erat, ſeſe pauperum, & miſerorum præbuit ancillam. Sancta Eliſabeth, quæ noverat quanta occurrant pericula in Aula, illinc receſſit, cum ibi regnare poſſet: non receſſit tamen tanquam fugitiva, quæ funeſtum reformidat diſcrimen, ſed tanquam victrix, atque triumphatrix quæ novas requirit palmas, poſtquam vixit in Aula tanquam Angelus lucis, & poſtquam inter luem, ac ſaniem integritatem ſuam ſartam, tectam cuſtodiit; poſtquam triumphum retulit de omnibus tentationibus, quæ eam laceſſere potuerunt, Dei numine afflata de ſolio deſcendit, ſceptrum reliquit, terrenas opes, omneſque mundi vanitates conculcans, ſe recepit in ſanctam ſolitudinem, & in Religioſum ordinem: cujus habitum palam induit, & S. Franciſci accepit inſignia. En victoria, quam Jeſu Chriſti fides refert de mundo: *Hæc eſt victoria, quæ vincit Mundum fides noſtra.* Nec ſatis; ſeſe clauſit in ſpecu; non ſolum voluit egere fortunæ bonis, ſed etiam corporis, & ſpiritus; ſibi interdixit omnes ſenſuum voluptates; loquebatur, quin rationem haberet perſonarum, & oculos apertos habebat, ut contemplaretur Cælum, & opera Dei; mens ejus non cogitabat amplius de terrenis rebus; replebatur ſpiritu Dei, quoniam nihil præter Deum habebat in pretio, & dicere poterat cum Iſaia Propheta: Domine meditata adorabilem Majeſtatem tuam, ac divinas perfectiones tuas, concepi, & peperi in corde meo ſpiritum ſanctificationis, & ſalutis.

Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Oſtendi poteſt. 1. Deum VI.
reſpexiſſe favorabiliter illam, hanc præveniendo ab infantia ſua in benedictionibus dulcedinis. 2. Deum ſevere illam ſpectaſſe, ut ad abſolutiſſimum virtutem promoveret. 3. Deum illam reſpexiſſe peramanter; quandoquidem inauditis ærumnis, ac tribulationibus vitæ, immiſcuit gaudia, & ineffabiles conſolationes.

Magnitudo conſiderari poteſt ſub triplici ratione. 1. Ra- VII.
tione Dei. 2. Ratione proximi. 3. Ratione Mundi totius.

1. Ratione Dei; impietas efficit ut viri principes a Deo pendere detrectent.

2. Ratione proximi injuſtitia illos facit crudeles, ac immites.

3. Ratione ſuimet; voluptas efficit, ut vitam mollem, ac delicias inquirant.

Hi tres ſunt ſcopuli, quos S. Eliſabeth evitavit.

1. Per abſolutam Deo obedientiam in magnitudine ſua.

2. Per magnificam erga Pauperes Caritatem.

3. Per vitam pœnitentem, & plenam ærumnis, quas cum admirabili patientia perpeſſa eſt.

Nihil facilius eſt quam ſanctæ Eliſabeth de Turingia ap- VIII.
plicare verba illa ex primo Regum libro: *Dominus mortificat, & vivificat. Dominus pauperem facit, & ditat, humiliat, & ſublevat.* Juxta hunc textum oſtendi poteſt:

Primo; Principem hanc mulierem extrinſecus paſſam fuiſſe eo uſque, ut a propinquis ſuis de ſolio deturbaretur. 2. A familiaribus, auliciſque pietas ſua in jocum traduceretur. Sed 3. inter hæc dura, & adverſa Jeſum Chriſtum effudiſſe in ejus animam delicias eo majores, prout magis patiebatur, ut avidius pati concupiſceret. *Dominus mortificat, & vivificat.*

Secundo. Principem hanc mulierem redactam fuiſſe ad extremam hanc paupertatem; quoniam nullum invenit aliquo in Regno ſuo perfugium, errans modo huc, atque illuc, & nullibi certam ſedem inveniens. 1. Omnibus fere indiguit, quoniam nihil habebat, unde filios ſuos aleret & ubi cum illis habitaret præter tugurium ex arborum foliis, ramiſque contextum; ſed nihilominus Deus illam ſuis locupletavit gratiis, eam in ſpem adducens fore ut meteret, quod ſeminaverat; & fortunæ bona non aliud eſſe debere, quam objectum generoſæ abrenuntiationis, non autem noxiæ cupiditatis. *Dominus pauperem facit, & ditat. Ex Manuſcripto Sermone.*

IX. Pro themate deſumi poſſunt verba illa; *Illum oportet regnare.* (1. *Cor.* 15.) Hinc in parte priori oſtendere poſſumus, Jeſum Chriſtum regnaſſe in corde S. Eliſabeth. *Oportet illum regnare.* 1. Per rectitudinem, quam incorruptibilem reddidit inter Aulæ delicias; ubi virtus confirmata vix ſtare poteſt. 2. Per ſinceram humilitatem, quæ effecit, ut contemneret dignitatem ſuam dum reliqui omnes, præſertim vero aulici beatos illos putant, qui ſecunda fruuntur fortuna. *Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt.* 3. Per eximium paupertatis amorem, propter quem bona ſua in ſinum pauperum effudit, & eorum jacturam æquo tulit animo, quia divina Providentia ita ſtatuerat.

In parte altera poſſumus oſtendere, S. Eliſabeth effeciſſe, ut Jeſus Chriſtus regnaret: *Oportet illum regnare.* 1. In Aula, cum præſetulit ab ipſa pueritia virtutem, nullis tentationibus, irriſionibus, dicteriis, calumniis labefactatam. 2. In corde viri ſui, ſapientibus monitis, humanitate ſua, præclariſque exemplis. *Sermo Mſ.*

X. Præclara ſanctæ Eliſabeth virtus profecta eſt ex inſigni contemptu mundi, ut poſſideret Chriſtum Jeſum. *Omnia detrimentum feci, ut Chriſtum lucrifaciam.* Oſtendi poteſt,

1. Ipſam ingentia poſſediſſe bona ſine ulla adhæſione; quandoquidem fuit infinite humilis, quandoquidem non intumuit ob eximias corporis dotes, ob mentis acumen, ob egregiam indolem, ob nobile genus. Conſecuta eſt omnia naturæ bona; eaque contempſit, ut unum ſibi Jeſum Chriſtum lucraretur. 2. Contempſit quoque bona omnia fortunæ, per amplas nuptias poſt obitum viri ſui; honores, & opes illis inhærentes; cor illius nihil amat, niſi Chriſtum Jeſum. *Omnia detrimentum feci ut Chriſtum lucrifaciam.*

2. Paſſa eſt citra dolorem, immo etiam cum gaudio magna bona ſua. 1. Quia de principatus jure dejecta, cogitabat, ſe per hanc jacturam Cæleſti regno potituram. Amor, & gratia J. C. omnibus eſt terrarum imperiis anteferenda. 2. Quia ad extremam paupertatem, & rerum omnium inopiam redacta propius imitabatur J. C. qui pro nobis factus egenus, noſmet locupletaverat. 3. Quia ſuſtinens perſecutionem, contemptum, calumnias, & pauperum ipſorum contumelias, quos bonis ſuis aluerat, ſibi novum jus ad Cæleſtem Regnum comparavit; quandoquidem ſcriptum eſt: *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum Cælorum.* (*Matth.* 5.) *Auctor recens.*

PARAGRAPHUS II.

Fontes unde peti poteſt copia ad exornanda hæc Sermonum argumenta; & Auctores qui de re hac tractant.

Vitæ Scriptores. THeodoricus Turingius ex S. Dominici familia primus eſt qui in octo libros Sanctæ hujus vitam collegerit, & ſumma cura virtutes ejus enarraverit, perſecutiones, quas ſuſtinuit, & illuſtriora illius facta retulerit.

Jacobus Montanus vitam S. Eliſabeth exornavit, & latius de illius eleemoſynis, & Caritatis actibus locutus eſt.

Wadingus in centenis hiſtoriæ ſuæ locis in ſingulos annos memorat Sanctæ hujus facta, & virtutes, & ubique cum laude, & admiratione Sanctam celebrat mulierem. Surius ad diem Novembris undeviceſimam collegit, & in ordinem coegit, quidquid alii ſcripſerunt, præſertim vero miracula, & heroice facta, & gratias, quibus cælitus fuit cumulata.

P. Apollinaris de Valognes Gallice vitam ejus conſcripſit, quibus ſcitas addidit meditationes, nihilque prætermiſit, quod in laudem, & gloriam S. Eliſabeth pertineat.

Legi poſſunt, quæ ſcribit Ribadeneira in Floribus Vitæ Sanctorum.

Compendium a P. Croiſet inſtitutum in exercitationibus piis in diem Novembris nonam ſupra decimam.

Concionatores recentes. Biroat Tomo 3. Panegyricorum.

P. Texier Tomo 2. Panegyricorum.

Auctor Sermonum in omnia argumenta &c. Tomo 3. Panegyricorum.

In Specimine panegyricorum tria ſunt compendia Sermonum hujus argumenti.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, Applicationes Scripturarum huic argumento.

DOmine, prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.

Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua.

Juſtus cor ſuum tradit ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conſpectu Altiſſimi deprecabitur.

In Joppe fuit quædam diſcipula nomine Tabitha; hæc erat plena operibus bonis, & Eleemoſynis, quas faciebat. Actor. 9.

Circumdederunt Petrum omnes viduæ: flentes, & oſtendentes ei tunicas, & veſtes, quas faciebat illis Dorcas. Ibidem.

Beatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.

Tibi derelictus eſt pauper; orphano tu eris adjutor.

Diſperſit, dedit pauperibus: juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi. Pſalm. 111.

Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi, eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare, ſitivi, & dediſtis mihi bibere; hoſpes eram, & collegiſtis me; nudus & cooperuiſtis me: infirmus, & viſitaſtis me: in carcere eram, & veniſtis ad me: quamdiu feciſtis uni ex fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Matth. 25.

Omnia detrimentum feci, & arbitror, ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam. Philipp. 3.

Non habet amaritudinem converſatio illius, nec tædium convictus illius, ſed lætitiam, & gaudium.

Nolite diligere mundum, neque ea, quæ ſunt in Mundo.

Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum Cælorum. Matth. 50.

Vulpes foveas habent, & volucres Cæli nidos, Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet. Matth. 8.

Certamen forte dedit illi, ut vinceret.

Inimici hominis domeſtici ejus.

Mulier gratioſa inveniet gloriam. Proverb. 11.

Qui pronus eſt ad miſericordiam, benedicetur, de panibus enim ſuis dedit pauperi. Proverb. 22.

Exempla ex veteri, novoque Teſtamento deprompta hujus Argumenti.

ESther nunquam oblita eſt ſanctæ illius educationis, quam acceperat a Mardochæo; nam ſi Aſſueri Regis aula mentem illius non corrupit, ſi eos humilitatis ſenſus fovit, quos illi Mardochæus infuderat, licet tanto in honoris apice, quem vulgo mollities ſubſequitur, ſi ſuam horrebat coronam, ac ſceptrum, ſi dies quibus cum Regiis inſignibus illi prodeundum erat, erant illi dies luctus, & ſi ex quo e paterna domo in Regis ædes tranſlata fuit, nullam guſtavit voluptatem; cuinam tam præclara virtus accepta referenda eſt, niſi piæ inſtitutioni inter graviora Aulæ pericula? Hæc ſimul & Reginæ Eſther, & ſanctæ Eliſabeth imago eſt. Felicia in bonum ſtudia, quæ divinitus accepit, illam recentibus gratiæ ſubſidiis ſuffultam tutata ſunt contra aulæ ſuperbæ delicias, & quin ſua intumeſceret dignitate, ſuimet miſerebatur, audiens ſe celſitudinis, ac ſerenitatis nominibus appellari, quæ abhorrebant ab humilitate chriſtiana, cum filii Jeſu Chriſti nonniſi virtute debeant eniteſcere. Cum enim illi in publicum eſſet prodeundum propter ſolemnitates, gemebat ſub pondere ejus gloriæ, quæ illam comitabatur, & tanquam Eſther dicebat Deo: tu teſtis es, Domine, ancillam tuam tanquam in elatione ſua, ſed in uno te gloriatam fuiſſe. Eliſabeth comparata cum Eſther Regina.

Caritas una cum S. Eliſabeth nata fuiſſe videbatur; amor pauperum & paupertatis ab ipſa uſque pueritia illi inſitus videbatur. Oblectabatur illa more pauperum indui, cum illis conſueſcere, eas menſæ ſocias habere dignabatur, illis miniſtrabat, eas propriis veſtibus induebat, eiſque manibus ſuis aptabat indumenta imitans, vel etiam ſuperans piam illam ex Apoſtolorum Actibus Dorcadem, quæ piis operibus addicta, & populo dilecta erat, ut precibus, lacrimiſque ſuis illam a morte ſuſcitaret in die extremi Judicii, cum Jeſus Chriſtus Pater Pauperum recepturus in æterna tabernacula accedet eos, qui in pauperum perſona illum exceperint, atque enutriverint. Quam mercedem referet inſignis Eliſabeth? Pauperes nonne illam reſpicient tanquam parentem ſuam, & nonne circumdabunt illam tanquam illius gaudium, & corona futuri? Nonne vocem attollent ſuam clamaturi, Domine, benedic laboribus manuum ejus, & modo fructum operum ſuorum recipiat: *Date illi de fructu manuum ſuarum, & laudent eam in portis opera ejus.* At eumdem ne pauperum plauſum eſtis excepturi in extremo die, vos qui de eorum ſubſtantia ſaturamini, qui illos deglutitis ut induamini, an immo oppoſitum vobis eſt metuendum, ut videlicet extrema ea die vos rubore ſuffundat omnipotens ille Judex, qui ſimul Pater eſt viduarum, & orphanorum, quas opprimitis; *Turbabuntur a facie patris orphanorum & judicis viduarum.* S. Eliſabeth Dorcadi, vel Thabitæ comparata. Act. 9.

Sancta Eliſabeth vera fuit mulier fortis, quæ ad unguem expreſſit curas, & munera illius, quam, Spiritus ſanctus proponit tanquam exemplar earum omnium, quæ in conju- S. Eliſabeth mulieri forti comparata.

gii ſtatu verſantur. Dicere enim poſſumus hypotipoſim quam Spiritus ſanctus mulieris fortis in Scripturis exornat, eſſe imaginem Eliſabeth, humilis ſine fuco, modeſtæ, citra affectationem, ornatæ prout ejus decet dignitatem, ſed ſine luxu; quæ virtute ſua venerationem ſibi conciliabat, & modeſtia, atque humanitate amorem omnium in ſe convertebat. Ejus erga omnes comitas, ac in verbis omnibus ſapientia, omnes in admirationem rapiebant, & vigilantia erga omnes, qui in Aula ſua verſabantur, celeritas in ſtipendiis perſolvendis iis, qui ipſi conducti famulabantur, & ſolertia in providendo omnium neceſſitatibus, non minima erat qualitatum illius. Nullus erat in ejus domo, qui illam tanquam matrem non reſpiceret; ſed potiſſimum merito illi applicari poteſt ea negotiatio quam tranſigebat mulier fortis, de qua in Scripturis ſermo eſt. *Guſtavit, & vidit, quia bona eſt negotiatio ejus*. Hæc autem in tribus rebus erat poſita, in commercio bonorum fortunæ per eleemoſynas, *manum ſuam aperuit inopi*; in commercio officii ſui, quod in perſona ſua præſtitit pauperibus: *& palmas ſuas extendit ad pauperes*; in commercio eſſentiæ ſuæ per ſacrificium perfectum voluntatis ſuæ in omnibus Dei diſpoſitionibus de illa, ubi non ſolum oſtendit ſuam erga Deum liberalitatem, verum etiam invictam cordis ſui fortitudinem: *Mulierem fortem quis inveniet?* Quibus addendum eſt non ſecus ac mulier fortis navabat operam lanæ penſis evolvendis, ut inde veſtes texerentur domeſticis ejus. *Omnes domeſtici ejus veſtiti ſunt duplicibus*. Sanctæ Mulieris noſtræ labor non in eo ſitus erat, ut aureas, ſericaſque veſtes, in uſus videlicet vanitatis faceret; ſed ipſa cum ancillis ſuis nebat lanam; ex qua deinde panni texebantur, quibus induerentur pauperes, & Regulares ex Sancti Franciſci Familia. Negotium ejus erat pauperum indumenta ſarcire, vel purgare, & dealbare lintea, quorum in templis uſus erat. Caritas ejus præſertim in noſocomiis renidebat. Fervor ejus, ut ita dicam ad deſperationem adducebat ferventiores aliorum eleemoſynas. Nullibi unquam viſa eſt caritas magis heroica, regia, & chriſtiana, quam quæ in Eliſabeth renidebat.

S. Eliſabeth comparata cum David, cum ejectus fuit e regno, perſequente Abſalone.

Quid dicam de lacrimabili ſtatu cum illam perſequente fratre viri ſui de ſolio fuit deturbata? Numquid non ſubit animos veſtros hiſtoria David, qui ab ingrato & ſeditioſo filio de regno dejectus, a ſubditis rebellibus exagitatus, a Semei conviciis appetitus, traducit torrentem Cedron dolore confectus, neque aliud ſolatium nactus, quam obedientiam ſuam divinæ voluntati, quæ permiſit, ut in extremam hanc incideret calamitatem? Domine, ſi meum mihi pedum repetendum eſt, & ad priſtinam opilionis conditionem redeundum; ſi vis, Deus, ut ſceptrum, ac diadema deſeram, ac de ſolio deſcendam ad gregem agendum reverſurus: ecce me tuæ Providentiæ ſubjectum; *Quod ſi dixeris, non placet, præſto ſum*. (2. *Reg*. 13.) Senſus eoſdem fovens S. Eliſabeth fratris viri ſui perſecutionem ſuſtinet, & ab omnibus derelicta in S. Franciſci templum ingreditur. Ibi omnia Regni, mundanæque pompæ abjicit inſignia, ſe abſoletis, & male ſartis veſtibus induit, & in hoc miſero apparatu ſe beatiorem putat, quam ſi manu ſceptrum, & in capite coronam geſtaret; quia magis conformis eſt paupertati Jeſu Chriſti, quem in poſterum unicum ſibi Sponſum habere conſtituit.

Videtur Deus per graviſſimã tentationem ita uti conſuevit, illam, ut olim S. Job deſeruiſſe.

Sed ipſe Deus, in quo requirit illa ſolatium ſuum, illam perſequitur, tradens illam triſtitiæ, propter quam vitam ipſam, ac ſemet faſtidit, non ſecus ac olim Sanctus Job: *Tædet animam meam vitæ meæ*. (*Job* 19.) Mihi videre videor manum Dei percutientis: Satana tibi per me liceat eripere bona Job, domos ejus evertere, corpus ejus morbis, atque ulceribus affligere; ſed vero, ne animæ illius vim inferas, dixit Dominus Satanæ, quod uni mihi reſervatum eſt. Donec exterioribus hiſce tantum tribulationibus afficeretur Job, æquo illas patientique animo paſſus eſt; ſed tunc conqueſtus eſt, ubi ſe Dei manu percuti ſenſit: ait enim; *Manus Domini tetigit me*. Hæc enim manus non percuſſit illum in bonis, non in domibus, ac præſidiis, non in ejus corpore, ſed in anima per amaritudinem, atque triſtitiam, in qua Deus illum deſeruit, & cum illum amici ſui, quin ei ſolatium afferrent, illi inſultarunt, ipſe dixit illis: *Quare perſequimini me, ſicut Deus?* Hæc eſt imago interiorum perſecutionum, quibus tentavit Deus ſanctam Eliſabeth, jam perpeſſam tot tribulationes, at poſtquam tot adverſitatum pondus ſuſtinuerat. Sancta hæc anima in maximam incidit triſtitiam, terror judiciorum Dei perturbavit eam, in ſalutis ſuæ incertitudine trepidat; videt animam ſuam tanquam ſecus oram inferni; ſed ſemet confirmat ingeminans confidentiam ſuam in Dei Miſericordia, eique cum abſolutiſſimo patientiæ exemplari, cui illam comparo, dixit: *Etiamſi occideris me in te ſperabo*. (*Job* 13.) Heu! Domine, licet mihi metuenda ſit juſtitia tua, tamen in miſericordia tua ſperabo ſemper.

Paſſiones S. Eliſabeth cum Martyrum tormentis cõparatæ.

Martyres de cruciatibus ſuis triumpharunt triplici pacto. In doloribus ſuis triplicem nacti ſunt ad ſeſe confirmandos virtutem. Paſſi ſunt cum patientia, cum voluptate, cum triumpho. Eliſabeth facta particeps perſecutionum Martyrum, particeps quodammodo facta eſt ſpiritus eorum; & partem gratiæ, quæ illuſtrium horum virorum, qui a tyrannis perſecutionem paſſi ſunt, conſtituiſſe triumphum Sanctæ hujus Mulieris. Suffert ipſa mala ſua cum patientia; quandoquidem nunquam præ ſe tulit aliquod doloris ſpecimen propter jacturam, quam fecerat. Alia quælibet præter Eliſabeth de miſera ſorte ſua conqueſta fuiſſet, inimicorum ſuorum injuſtitiam inſimulaſſet, & fortaſſe etiam calamitatem ſuam, hoc eſt, tacite ipſam Dei Providentiam increpaſſet; ſed neque cor habet, neque os, niſi ut Deo gratias agat, ut pro inimicis oret, & de illa dicere poſſumus, quod ſanctus Zeno de Job; *Contempſit in perditis facultatibus divitem, diſſimulavit in amiſſis liberis, patrem; in pœnis corporis Juſtum*. In jacturam bonorum oſtendit, quanti faceret opes ſuas; in jactura filiorum, non recordatus eſt ſe eorum patrem fuiſſe, & in aliis afflictionibus ſe geſſit, tanquam ſi oblitus fuiſſet ſe eſse innocentem. Ecce tres qualitates, quas contempſit Eliſabeth, & in ſui met oblivione ſuſtinet paupertatem, quaſi nunquam fuiſſet locuples; ſuſtinet injurias, quibus filii ſui afficiuntur, quaſi nunquam extitiſſet mater; ſuſtinet perſecutiones, quaſi non eſſet innocens, & quaſi illa fuiſſet promerita criminibus ſuis, meminit ſolum ſe Chriſtianam eſſe, & propterea non patienter ſolum, verum etiam libenter eſſe illi patiendum. *Biroat in Panegyricis Sanctorum*.

Comparatur cũ ſanctis quos laudat ſanctus Paulus.

Ubi comparantur circumſtantiæ vitæ ſanctæ Eliſabeth cum vita Heroum legis antiquæ, quos nobis S. Paulus proponit, (*c*. 11. *Epiſt. ad Hebr.*) hoc unum, & idem eſse videtur, & Apoſtolus hanc prophetice reſpexiſse Sanctam, quam colimus. Per fidem illi adepti ſunt regna; juſtitiæ munera obierunt, promiſſionis effectus receperunt, crudeliſſime torti fuerunt redimere nolentes præſentem vitam, ut meliorem reciperent in reſurrectione ſua. Omne convicii, & contumeliæ genus ſuſtulerunt; omni cruciatuum genere affecti ſunt; omnibus modis tentati ſunt, ovium, caprarumque pellibus induti, derelicti, afflicti, exagitati. Hi quibus dignus non erat mundus, vitam ſuam traduxerunt errantes in deſertis, in montibus, & recedentes in antra, & ſpeluncas terræ. Objiciamus quibuſcumque his coloribus circumſtantias ex hiſtoria illuſtris ſanctæ Eliſabeth, ac inveniemus in hac comparatione abſolutum Elogium. Etenim nonne per fidem ſuperavit, quia Domini vocatio ad id illam coegit, & ſuperior fuit tentationibus dignitatis ſuæ per ipſam heroicæ fidei hujus magnitudinem? *Sancti per fidem vicerunt regna*, & cum dignitatem abjecit, nonne retulit cumulatiſſimam victoriam de regno, & mundo? obiit omnia juſtitiæ ſuæ munera in omnibus ſtatibus, in adoleſcentia ſua ſuper ſolium, ex quo ubi deſcendit, non proſpera, non adverſa fortuna illam amovere valuerunt de viis juſtitiæ & ſtatim experta eſt effectus promiſſionum Domini qui ſemper fuit protector illius in tempore afflictionis. *Sermo MS*.

Virtus ejus comparari poteſt cum virtute Sanctorum qui in lege veteri præſtitere.

Prolixiori in enarratione melius cognoſcitur comparationis æquitas, & ſimilitudo virtutis Sanctorum, qui ſimul comparantur. Numquid S. Eliſabeth ceſſit virtuti illuſtriorum legis antiquæ Sanctorum? Nonne crudeliter vexata fuit a conſanguineis, non ſecus ac Joſeph a fratribus? Non ſecus ac illi, experta eſt in aula irriſiones aulicorum, qui in ludibrium vertebant illius ſimplicitatem: *alii ludibria experti ſunt*, (*Hebr*. 11.) ut illi, errans fuit & vaga, afflicta, ac exagitata a Socru, & Glore ſua, ejecta cum filiis de ſolio, habitans in ſtabulo, de regno ex quo in exſilium ejiciebatur profecta in regnum, ubi iterum afficiebatur contumelia. *Circuierunt errantes in melotis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus non erat dignus mundus*. Quod vero maxime illius gloriam commendat, illud eſt, quod ex his contumeliis voluptatem percipiebat; quod gaudebat libertate filiorum Dei in ipſa calamitate; quod nullo ſenſu afficeretur malorum, quæ patiebatur; quod exſilium ſuum, neceſſitatem, paupertatemque ſuam oculo vere chriſtiano reſpiciebat, & tanquam gradum ad delicias, & opes nunquam deſituras, ad Regnum, ad quod nunquam dolores accedunt. Glos noſtræ Eliſabeth ſe huic nocere poſſe putabat eam perſequendo; ſed illi procurabat coronas, & puniebat ſeipſam præter mentem judicium Dei exequens, quo privabatur benedictione, quam Eliſabeth illi poterat promereri. *Quibus dignus non erat mundus*. *Ex Sermone MS*.

Applicationes quorumdam locorum Scripturæ huic argumento.

Contemnit terrena bona, ut J.C. poſſideat.

OMnia detrimentum feci, ut Chriſtum lucrifaciam. (*Philipp*. 3.) Non ſecus ac S. Paulus ait, ſtellæ varias habent claritates, quibus ſecernuntur, aliæ ab aliis; ita Sancti varias habent virtutes, quæ illorum peculiarem conſtituunt characterem. Alii per ignem caritatis ſuæ nituerunt, alii per caſtimoniæ candorem, alii per conſtantiam. Non deſunt, qui propius Salvatoris humiliationes imitati ſunt. S. Eliſabeth Turingiæ præſtitit jugi imitatione univerſalis terrenarum rerum contemptus, qui in tota Jeſu Chriſti vita refulſit. Ab extrema uſque pueritia nihil in illa deprehenſum eſt non cæleſte; hujus mundi bona ſuæ dignitati inhærentia fuerunt objectum contemptus, credidit Chriſtianam hoc nomine indignam eſſe niſi tanquam lutum aſpernetur ea, quæ plurimi ſiunt ab amatoribus ſæculi. *Non laudis eſt poſſidere divitias, ſed eas pro Chriſto contemnere*, dicebat illa cum S. Hieronymo. Qui in præſentis temporis tantum cogitatione immoratur, felicitatem ſuam in ingentium bonorum poſſeſſione conſtituunt; gloria autem mea eſt, hæc veluti ſarcinam reputare, quam qui abjicit felix eſt; abjicit quippe obicem ad ſalutem, qui ſuperandus eſt; quippe fallacia ſunt bona, quibus error mortalium bonorum nomen falſo adjecit, cum revera ſint ſpinæ; & bona non ſunt, niſi quatenus contemnuntur: namque per contemptum eorum Jeſus Chriſtus adquiritur. *Omnia detrimentum feci, ut Chriſtum, &c.*

Non

Pietas hujus Sanctæ & ejuſdem attentio in precibus fundendis.

Non habeat amaritudinem converſatio illius, neque tædium convictus illius, ſed lætitiam, & gaudium. (*Sapient*. 8.) Dicendus eſt Jeſus Chriſtus fuiſſe hujus Sanctæ theſaurus, namque ab infantia ſe beatam arbitrabatur, ſi eſſet cum illo, clanculum ſe ſodalibus ſuis ſurripiens, ut per orationem cum Æterna Sapientia converſaretur. Dicendus eſt Jeſus Chriſtus ſeſe illi communicaſſe; quandoquidem ſumma cum aviditate excipiebat verba Vitæ æternæ, quæ in corde illius perſonabant; & abhorrebat a ſolatiis, quæ ætas, & conditio illi permittere videbantur. Cum ſeſe ad pedes tuos proſternebat, Domine, quo ſenſu ſuas tibi gratiarum actiones offerebat! Quis erat fervor orationis ſuæ? Nonne tempus nimis illi breve videbatur in adeo ſuavi, & ſalutari conſuetudine? *Non enim habet amaritudinem converſatio illius .... ſed lætitiam, & gaudium*. Nos vero tædet antequam accedamus ad te; nunquam enim cum Propheta guſtavimus, quam jucunda, & ſuavia ſint eloquia tua. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo!* Quoniam cor noſtrum non reſpicit te tanquam ſuum maximum bonum, & tanquam theſaurum ſuum. Magnum videmur ſubire ſupplicium, cum te orare debemus, ſed adoleſcentulæ Eliſabeth ſumma videbatur voluptas. *Non enim habet amaritudinem, ſed lætitiam, & gaudium*.

Ejus miſeratio erga pauperes.

Ab infantia crevit mecum miſeratio, & de utero matris meæ egreſſa eſt mecum. Job 31. Tres annos nata, quaſi jam rationis, & gratiæ uſum eſſet adepta, validis adeo ſtudiis ferebatur erga pauperes, ut unica ratio illam plorantem mulcendi eſſet dare illi aliquid, quod pauperibus in eleemoſynam erogaret. Cum ætate creviſſet, miſerationem cum illa creviſſe cognitum fuit, *Mecum crevit miſeratio*, vel uti alia habetur verſione *Nutrivit me miſeratio*, ipſa miſeratione alebatur. Clanculum adibat in regias parentis ſui ædes, ac inde, quin Aulici id perciperent, exportabat quidquid illi ad pauperum inopiam ſublevandam aptius videbatur. Voluit etiam die quadam inſigni miraculo oſtendere Deus, quam ſibi eſſent jucunda furta Virginis noſtræ omni crimine vacua. Cum enim illam fugientem inſequeretur famulus, & clamaret illam ſurripuiſſe quidquid in Regis epulas ipſe paraverat, & Rex eodem temporis articulo accedens illam per lacertum apprehendiſſet, eique dixiſſet: jam te deprehendi, quid eſt, quod abſtuliſti? profecto Spiritus caritatis afflata quo ad hæc patranda agebatur, audacter reſpondit, ſe abſtuliſſe roſas, ex quibus ſerta necteret: & re ipſa Rex nihil vidit aliud, quam roſas odorem prorſus cæleſtem afflantes.

Superabundo gaudio in omnibus tribulationibus meis. 2. Cor. 7. Sanctus Paulus per hæc verba innuit, ſe ita ſuperabundaviſſe gaudio in corde ſuo, cum tribulationibus quateretur, ut omnia mala ſua hac lætitia ſuperfunderentur; vel lætitia hac ita omnes affectiones ſuas ſuperari, ut percepta lætitia major eſſet ipſo dolore. Mala hæc vinceret, qui patienter illa ſuſtineret; ſed dupliciter illa ſuperaret, qui in gaudii materiam converteret. *Superabundo gaudio*. Quod Apoſtolus dixit in vinculis, experta eſt Eliſabeth in perſecutionibus ipſa exſilii ſui nocte ingreſſa in Templum Fratrum S. Franciſci, cum e lectulis conſurgerent matutinas horas recitaturi, namque illis teſtata gaudium, quod ex ſua calamitate perceperat, illos obteſtata eſt, ut canerent *Te Deum*, ad tanti muneris, & beneficii Deo gratias perſolvendas. Quam eſt inſolens hujus Cantici uſus! *Te Deum* pro Regibus canitur, ubi grave aliquod retulere beneficium, vel cum inſignem victoriam aliquam reportarunt. Heu! Illud pro ſe concini jubet Sancta Eliſabeth propter jacturam, quam ſubiit ditionis ſuæ, & propter perſecutiones, quas ſuſtinet. Ita illa rerum nomina immutat, ita omnes vincit dignitates, ut poſtquam hæc mala patienter, & cum voluptate ſuſtinuit, illa etiam cum triumpho ſuſtineat.

Nolite diligere mundum, neque ea, quæ ſunt in mundo. 1. Joan. 2. Hæ veritates Aulici, qui non voluptatibus ſolum, ſed etiam exquiſitiſſimis cupiditatibus abditi eſtis, qui per intervalla alias aliis ſubrogatis, ita ut *ducatis in bonis dies veſtros*; Hæ veritates inquam, ad vos uſque non perveniunt, cum mundi, & eorum, quæ in mundo ſunt præſtigia vos fallant, & fruſtra dicitur vobis, hæc non aliud eſſe quam vanitatem, corruptionem, concupiſcentiam, & vitæ ſuperbiam. Veritates vobis ſunt tanquam tabulæ pictæ, quas cor veſtrum in terras incurvum probare non poteſt. Si ad breve momentum oculis veſtris ſubjicerentur, ſtatim evaneſcerent, & corda veſtra proprio pondere in tenebras relaberentur: ſed Sancta vidua, cujus laudes concelebro, & cujus virtutes admiramini, his tanquam ſolido pane nutrit animam ſuam, illum digerens, inque ſuam ſubſtantiam convertens; & ſemet jugiter cohortans adverſus ſenſuum, & objectorum, quæ illos afficiunt, præſtigia: *Noli diligere mundum, neque ea, quæ ſunt in mundo. Præterit enim figura hujus mundi: Vapor eſt ad modicum parens, & deinceps exterminabitur*. (*Jacob*. 14.) Mundus igitur non eſt niſi objectum felicitatis dormientis, qui, quin re ipſa beatus eſſet, cogitavit ſe talem eſſe, & excuſſo ſomno nihil invenit in manibus ſuis. Opus eſt ergo mundum odiſſe, & omnia quæ in mundo ſunt. *Nolite diligere mundum: neque ea quæ ſunt in mundo*.

Amor paupertatis.

Beati pauperes ſpiritu. Matth. 5. Paupertatis amor unum eſt ex Religionis Chriſtianæ fundamentis: tibi avarus eſſe debes, plurima negans tibi, ut aliis multa largiri valeas; ſapientem hanc exercere œconomiam docet nos Evangelium, donec veniat Dominus negotiationis noſtræ rationem reperiturus. *Negotiamini dum venio*. (*Luc*. 19.) Quiſnam melius, quam S. Eliſabeth didicit, quot, quantaque inſint pericula in divitiis, & quam difficile ſit obſiſtere, ne illis cor humanum adhæreſcat? Meminerat illas a Jeſu Chriſto ſpinis comparatas fuiſſe. Mente ſua recolebat Evangelicum adoleſcentem nequaquam ſecutum fuiſſe Dominum vocantem, eo quod cor illius bonis terræ quodam veluti glutine adhæſerat. Hæ veritates altius in corde Eliſabeth impreſſæ, ſuadebant illi, ut ſe inter arctiſſimos neceſſitatis fines contineret; & non confideret in his fortunæ bonis; quoniam in uno Deo confidendum eſt, qui verum bonum eſt, & cum paſſim intumeſcant, qui poſſident opes, illa earum offerre debebat ſacrificium, eaſdem in pauperum manibus deponens. Eleemoſynæ uberes erant, & illius facultati pares; & paupertatis amor illi ſuadebat amorem pauperum, licet magnum intereſſe putabat diſcrimen inter divites, quorum pars erant terræ bona, & inter pauperes quibus non alia præter virtutem inerant bona: hoc enim religionis intuitu conſiderabat pauperes tanquam illos, qui unice locupletes ſunt Evangelicorum bonorum, & diligunt paupertatem: *Beati pauperes ſpiritu*, divites autem reſpiciebat tanquam vere pauperes, quorum corda divitiis ſuis inhærebant.

Miſer ſtatus illius ex regia domo ejectæ & non habentis, ubi quieſceret.

Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos; filius hominis non habet, ubi caput reclinet. Matth. 8. Sancta Eliſabeth ſemet conſiderabat tanquam in ſtatu violento in elatione ſua: cupiebat ſeipſam juxta Domini exemplum videre inter ſuos redactam, quemadmodum inter alienos ignotam, & conviciis exceptam, ſicuti Jeſus Chriſtus fuit ignotus in loco, cujus ſupremus erat Dominus, & in populo, qui ipſum præſtolabatur. *In propia venit, & ſui eum non receperunt*. (*Joann*. 1.) Complevit autem Deus vota ejus; cum viri ſui matre, atque ſorore illam perſequentibus primum quidem vixit in aula tanquam aliena, mox vero ejecta, atque proſcripta, & ad id redacta, ut non haberet perfugium, ubi caput reclinaret, omnibus careret terræ bonis, *cum vulpes foveas habeant, & volucres cæli nidos*. Quæ comparatio cum Salvatore ab eadem inſtituta tunc temporis maximo fuit illi ſolatio. Quoties ſibimet ipſi dicebat, ut hoc dejectionis ſtatu ſe ſe confirmaret; diſcipulus non eſt major domino ſuo. In honorem hominis cedit, ſi eodem excipiatur pacto, quo Dominus ejus. Nonne aliqua inveniri debent conformitatis veſtigia inter divinum hoc autographum, & Chriſtifidelem, qui ſe illius exhibere debet tanquam vivum exemplar? Principes ergo ſuperbis in ædibus incolant, vulpes foveas ſuas habeant; ipſa non abnuo deeſſe mihi, ubi caput reclinem, cum neque filius hominis habeat. *Filius hominis non habet &c.*

Turingiæ Princeps ſanctificatus virtute conjugis ſuæ.

Sanctificatus eſt vir infidelis per mulierem fidelem. 1. Cor. 14. Quænam artes prætermiſſæ fuerunt, ut apud Ducem Eliſabeth virum, huic conflaretur odium? Virtus hujus piiſſimæ uxoris, quæ gravis erat omnibus, qui ſæculi pompas, & voluptates, quæ in aula dominantur, deperire conſueverant; graviſſimas excibat aulicorum querimonias, quaſi vellet illa aulam formare ad perfectiſſimi Aſceterii normam; quod veriti, Principis animum ab amore Conjugis ſtudebant amovere, dicentes virtutem multiformem eſſe pro varietate conditionum, neque in florentem aulam invehendam eſſe Clauſtrorum diſciplinam; idem eſſe ac Aulæ nitorem, ac lucem auferre, inde auferre, quod ipſius magnificentiam imminuit; aliam eſſe humilitatem paſſim fidelibus propriam, aliam Principibus congruam; etiamſi Evangelium angulari lapidi innixum nunquam mutari poſſit; nihilominus ſatis eſſe illius inſtituta corde fovere, & oportere, ut viri Principes dignitatem ſuam ſuſtinerent magnificentia; alioquin populi, qui de iis judicant, quæ oculis nitent, contempturos & Principem, & Principis dignitatem, ſi ille, ejuſque aulici non eo cultu ornati prodirent, qui eos maxime deceret. Sed conſtans Eliſabeth virtus omnibus hiſce ſpecioſis rationibus prævaluit. Princeps uniformem conjugis ſuæ pietatem admiratur; abſolutum illi in animum ſuum permittit imperium, illius paret conſiliis; concedit, ut quam velit, modeſtiæ rationem ſequatur, & edicit, eos, qui uxoris ſuæ imitati fuerint exempla, ſemper ſibi futuros in pretio, ut ipſe, & omnes ſanctiſſimæ conjugis ſanctificarentur exemplo. Adeo verum eſt, virtutem ubi ſincera, & conſtans eſt, omnes obices perfringere, & Regum corda quocumque illi placuerit, convertere.

Semet humiliat.

Abſit mihi gloriari niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti. Ad Galat. 6. Nonniſi virtus heroica ſibi jure ſermonem hunc vindicare poteſt: & nonniſi poſt plurima eaque graviſſima experimenta nemo ſibimet ipſi perſuadere poteſt, ſe non gloriari niſi in Cruce Domini. Non deſunt, ut ita dicam, futiles oſtentationes, ubi de pietate ſermo eſt: Tyrones præclara nonnunquam virtutis edunt ſpecimina, ut olim Ephraimitæ, qui dum fictitias miſcerent pugnas, magnos ſibi plauſus promerebantur; & qui deſponderunt animum, ubi in aciem fuit deſcendum: *Filii Ephrem intendentes, & mittentes arcum converſi ſunt in die belli*. (*Pſ*. 77.) Satis eſt, ſi nos pudeat infirmitatum noſtrarum; ſi fortia ineamus conſilia ex flagitiis noſtris emergendi, ac nobiſmet vim inferendi. Sancta, quam colimus, cedit neceſſitati ſemet ornandi, ut Principatus ſui dignitatem retineat. Species ejus, qua nitebat, commendatur luce gemmarum, & totius mundi muliebris ornatu, qui ipſius conditionem decere cenſetur. Hoc in ſtatu ſacras ædes ingreditur, & oculos convertit in Jeſu Chriſti crucifixi imaginem. Sed inæqualitas ſtatus, in quo ſe ipſam intuita eſt, & Jeſum

Chri-

Chriſtum, cujus caput erat ſpinis coronatum, manus cruentæ, corpus flagellis cæſum; Hæc inquam ſtatus inæqualitas illam percellit; illam conſcientiæ ſtimulis urget, rubore ſuffunditur; ſeſe humiliat, mundi apparatum abjicit, & J. C. pollicetur, ſe nunquam niſi in ejus cruce, ac poſſionibus gloriaturam; ſibique in poſterum gaudio, & voluptati verſuram, ſi geſtaret in corpore ſuo, non quidem Satanæ inſignia, ſed divinorum vulnerum notas. *Abſit mihi gloriari &c.*

Extrema rerum omnium egeſtas ad quã redacta fuit.

Beati pauperes, quoniam ipſorum eſt regnum Cælorum. Matth. 5. Oraculum hoc æque ſpectat ad humiles, qui de ſe humiliter ſentiunt, & ſemper in ſuo ſe nihilo continent, & ad illos, qui voluntariæ paupertatis ſtatum ingreſſi ſunt; ſeu quod Deo ita diſponente nati ſunt in ea conditione, ubi bonis omnibus egeni ultro acceptarunt paupertatem, ex qua emergere minime poterant, ſeu quod inter vitæ hujus opes, & commoda in luce editi ultro inierunt conſilium, ut nudi nudum ſequerentur Jeſum Chriſtum. Fatendum eſt, inter eos, quibus paupertas jucunda fuit, Regum, Principumque merita eminere, præſertim, cum de divitiarum, & ditionis poſſeſſione dejecti incidunt in paupertatem rerum omnium, quarum voluntarium Deo offerunt ſacrificium. Hic ſitus erat Eliſabeth noſtræ. Omnibus bonis affluens, quæ ejus dignitatem decebant, repente ſe intuita eſt ad extremam neceſſitatem redactam. De ſolio nequaquam per gradus deſcendit: paupertas non occurrit illi ſenſim, & ſine ſenſu; non lento gradu illam ſibi obviam ire conſpexit, ut aſſolet; ſed de throno deſiliit in ſtabulum, de regiis ædibus in tugurium arborum ramis, frondibuſque contextum, a Principis mulieris pompa, ad muliérculæ ſtatum mendicato pane viventis, & vix ac ne vix quidem invenientis aſylum, qui ne calamitoſiſſimis quidem negari conſuevit. Generoſo corde tantum ſuſtinere infortunium, nonne ſumma virtus eſt, quæ caliginem offundit merito eorum, qui in paupertate nati, ac innutriti, ſuam diligunt conditionem, & eorum, qui ultro omnia bona ſua reliquerunt? Hæc vidua Princeps nonne jure in eorum albo recenſenda eſt, quos Scriptura Beatos pauperes nuncupat? *Beati &c.*

Filii Sanctorum ſumus. Tob. 8. Sancta hæc genus duxerat ex ſpectatiſſima familia; ſed illi non amplior dignitas accidit, quam quod cum Tobia dicere poterat: *Filii Sanctorum ſumus.* Avum enim habuit ſtrenuum ducem, qui in Terram ſanctam valido cum exercitu profectus eſt, in cujus gratiam Deus omnes exhauſit aquas Nili, ut viam admirabilem illius copiis aperiret. Virum habuit Principem ſanctitatis palma inſignitum, qui vitæ ſuæ innocentiam ea morte coronavit, quæ martyrii nomen illi poterat promereri; obiit enim, ut Jeſu Chriſti cauſſam contra Infideles tueretur & filios genuit, qui Religionem, & mundum ſanctificarunt virtutibus ſuis, quas excoluerunt; ita ut cum Deipara dicere poſſet: *In hereditate Sanctorum coram ipſo miniſtravi.* (*Eccli.* 14.) Deo meo famulata ſum in Sanctorum familia. Ab infantia in omni vitæ ſuæ ratione vivam præ ſe tulit fidem, ardentem caritatem, ſanctum ſui ipſius odium: ſæpe a ſodalibus ſuis ſecedebat, ut in oratione effunderet animam ſuam; interpellabat ſomnum ſuum, ut mortificationibus, & meditationibus vacaret, quæ ætatem illius ſuperabant; & dicere poſſumus, Deum illam deduxiſſe in vias ſuas, eamque non ſecus ac Moyſem, tanquam oculi ſui pupillam cuſtodiſſe.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum, quæ eleemoſynis, ac tribulationibus Sanctæ Eliſabeth congruunt.

OMnis philoſophiæ magiſtra nobis eſt paupertas; non ita laudamus Joſeph cum frumentum diſtribuebat, ſicut cum carcerem habitabat. Sanctus Auguſtinus in Pſalmum 76.

Semper dives eſt Chriſtiana paupertas, nec pavet in iſto mundo ingentia laborare, cui donatum eſt in omnium rerum Domino omnia poſſidere. Sanctus Leo ſerm. 4. de Quadrageſima.

Fideli homini totus mundus divitiarum eſt; totus plane; quia tam adverſa, quam proſpera illius æque omnia ſerviunt ei, & cooperantur in bonum. S. Bernardus ſerm. 21. in Cantic.

Pauper innumerabiles divitias poſſidens eſt pauper Evangelicus, qui cum Deum ipſum bonorum omnium fontem geſtet in corde, bonis indigere non poteſt. Beda lib. 2. in Prov. cap. 13.

Si ergo hic nullo eget, & nullas divitias habet, dives eſt; revera dives, qui paupertatem ſpiritus habens, veras animæ opes ad ſe tranſtulit poſſidendas. Idem ibidem.

Non habet horrea, ubi grana reponat; ſed talem abundantiam ut habere mundum univerſum nihil exiſtimet. S. Laurentius Juſtinianus in tractatu de paupertate, cap. 4.

Parva dimiſimus, & grandia poſſidemus: centuplicato fœnore promiſſa Chriſti redduntur. S. Hieronymus ad Pammachium.

O quanta beatitudo! pro parvis magna recipere: æterna pro brevibus: pro morituris ſemper viventia, & habere Dominum debitorem. Idem epiſt. 15.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia depromi valeat in hoc argumento.

Deo æque glorioſum eſt illi fideliter adhærere tam in proſperis, quam in adverſis.

NON utilis minus, quam jucunda quæſtio proponitur; in qua non ſolum Profani Oratores, verum etiam plurimi Sancti Patres ſuam oſtentarunt eloquentiam, utrum fortitudo, & virtus majus afferat ſubſidium, vel ut noſmet contineamus intra æquos mediocritatis terminos, in proſpera florentique fortuna, vel ut in adverſa ſuſtineamus ea, quibus premimur, mala; & quamvis paſſim in hac majori cum luce virtutem eniteſcere putent; quæſtio tamen viget adhuc, & eorum ſententia, qui pro priori parte pugnant, non caret validis rationibus, quia dubio procul hoc in ſtatu magna opus eſt moderatione, ne quis intumeſcat, ut auream ſervet mediocritatem, ut cupiditatum exultantes impetus cohibeat, ut denique verecundiam ſervet, & non abutatur potentia ſua, & ne officii ſui cancellos excedat. Quapropter lubentiſſime S. Auguſtini ſententiæ ſubſcribo dicentis; ut quis in Sanctum evadat inter adverſa, & calamitates, una tantum virtute opus eſſe, videlicet patientia; ut autem Chriſtiano viro dignam ducat vitam in proſpera florentique fortuna, omnibus opus eſſe virtutibus, quia multa præcavenda ſunt, multa metuenda, multa præſtanda, multi denique obices ſuperandi.

In hac autem ſententiarum varietate, utram partem ſequamini, non valde laboro; quippe quamlibet ſecuturi ſitis, veſtris rationibus utar, ut incomparabilis S. Eliſabeth gloriam extollam.

Qui in mundo opibus præſtant, difficilius ſalutem ſuam operantur quam alii paſſim.

Præter omnes difficultates omnibus hominibus communes, ut Sancti fiant, nobilibus locupletibuſque viris alii imminent obices prorſus peculiares, qui eorum conditioni videntur inhærere. Aliis quippe ſuperandæ ſunt propriæ cupiditates, vitia ſua, & ſtudia naturæ corruptæ, quibus in deterius trahuntur; ſed viris Principibus pugnandum eſt contra Mundum, qui multo majores habet ad eos fallendos illecebras, quam pro reliquis paſſim. Illis enim parum pietatis ineſt, Religionis ſenſus modicus, quippe qui ſpiritum habent diſſipatum objectis iis, quæ eorum ſenſus occupant; cum immo opus eſſet, ut præ cæteris ſæpius ſeſe colligerent. Superbi ſunt, propria dignitate, vel opulentia tumidi, & nihilo ſecius opus eſt, ut ſeſe ſubmittant, ut ſalvi fiant. Terræ bonis & opibus inhærent, quibus indigent, ut fortunæ ſuæ nitorem tueantur; & cor eorum neceſſe eſt, ut omnino ſit ab illis avulſum: Voluptatibus addicti ſunt, & præ reliquis indigent criſtiana mortificatione. Adverſus omnes hos obices, & contra ſingulos hoſce inimicos pugna S. Eliſabeth fuit ſuſtinenda.

Adverſa & perſecutiones quas ſuſtinemus ſũt veluti Lydius lapis, quo virtus probatur.

Probatiſſima in Scripturis veritas eſt, ærumnas, & perſecutiones eſſe tanquam Lydium lapidem virtutis, quæ nullo ſane habenda eſt in pretio antequam hoc ſubierit periculum, ita ut cum vulgo dicamus in noſtris calamitatibus, & adverſis periculum fieri fidelitatis amicorum noſtrorum, ex oppoſito accidat, ut per fidelitatem noſtram, quam Deo teſtamur in adverſis, & perſecutionibus, quas in nos excitat Deus, palam oſtendamus eum a nobis vere diligi & amari. Ita cum Deus voluit efficere, ut ſervi ſui Job virtus eniteſceret, permiſit, ut ille de celſitudinis ſuæ faſtigio, ad quod pervenerat, dilaberetur in abyſſum omnium vitæ hujus malorum, ita ut ex eo fieret conſtantiæ, & fidelitatis exemplum. Eliſabeth tanta erat virtus, & tanta animi magnitudo, ut hoc periculum ſubitura non eſſet; & addere poſſum a Deo tanto in pretio habitam fuiſſe virtutem ejus, ut permittere minime poſſet, in corona illius deſiderati hoc nitoris, ac luminis incrementum. Re enim vera vita illius non aliud fuit niſi ſeries perſecutionum, & jugis heroicæ patientiæ exercitatio.

Celſitudo utilis eſt vel pernicioſa virtuti pro illius uſu vario.

Celſitudo Sanctitatis, vel damnationis cauſſa, eſt vitii, aut virtutis inſtrumentum prout in rectum, vel iniquum uſum convertitur. Certum eſt, cum anima eroica illam in egregium adhibet uſum, non mediocrem virtutibus lucem afferre, verum ſi utilis eſt Sanctitati, crebro eidem eſt pernicioſa; quippe tres latent ingentes ſcopuli, qui ſæpe teterrimi naufragii ſunt cauſſæ. 1. Impietas, 2. Injuſtitia, 3. Voluptas, quos omnes S. Eliſabeth ſedulo evitavit.

Duo ſunt genera crucis, & mortificationis, quæ virtuti animarum ſanctarum conferunt.

Animadvertendum eſt duplex eſſe genus Crucis, & Mortificationum: aliæ quippe voluntariæ ſunt, quas virtus ultro amplectitur, ex quibus illa ſibi tanquam antidotum conficit contra peccatum: aliæ vero neceſſariæ, & quæ a nemine eliguntur, & quæ immittuntur a Deo ad expianda corda. S. Eliſabeth crucis utriuſque rigores eſt experta, ſibi ultro pœnitentias infligens, & admirabili cum patientia ſuſtinens ærumnas, quas eidem immittere placuit Deo: quales fuerunt, privari, & viro, quem mors intempeſtiva ex inſidiis veluti adorta rapuit, & ſolio, quod ambitioſi hominis tyrannis invaſit.

Sicuti fieri nequaquam poteſt, ut alia in cælum pateat via, quam illa paſſionum, quæ Deo ipſi unice patuit; hæc patiendi neceſſitas gravius urget Sæculi Principes, qui in rerum omnium affluentia, & vitæ commodis, quibus fruuntur, horrere aſſueſcunt quidquid negotium faceſſit naturæ: ſed S. Eliſabeth perſuaſum erat de primo illo Evangelicæ legis canone, quo jubemur ſinguli crucem noſtram geſtare, & tribulationes diligere. Patitur illa ab hominibus, a dæmoniis, & ab ipſo etiam Deo: in jactura viri ſui dilectiſſimi, quem mox in ipſo ætatis flore præripuit, tunc cum vinculis caſtiſſimi, ac integerrimi amoris maxime erant conjuncti.

Summis viris cruces difficiliores videntur, licet hæ omnibus vulgo ſint communes.

S. Auguſtinus verba faciens de uſu moderato bonorum & voluptatum hujus mundi a Principibus viris faciendo, illos apibus comparat, quæ deſcendunt aliquando ſuper flores, ut inde ſuccum exſugant, ſed poſtea avolant in alvearia ſua. Licet ſæcularibus frui bonis, quæ poſſident ſecundum ordinem

nem Providentiæ, ac deliciis ipſorum conditioni adhærentibus; ſed voluptates ipſæ, quæ per ſe omni culpa vacant, noxiæ fieri poſſunt per inordinatum ipſarum affectum. Religio autem præcipit, ut omnes mediocriter illis utantur, & exigit perfectio, ut ſi fieri poteſt, omnem earum uſum nobis interdicamus; quod præſtitit S. Eliſabeth. Hæc repetit ſolium, unde fuerat ejecta; Regias in ædes revertitur, ibique ſe reſtitutam videt tanta pompa, quanto cum dedecore exturbata fuerat. Sed ultro exuit purpuram, quam eidem præripere conati ſunt, & per humilitatem deſcendit ſponte de ſolio; de quo per vim illam deturbare adniſi ſunt; & Evangelicæ paupertatis amor in ea facit, quod inimicorum perſequentium furor efficere ſtuduerat. Habebat illa ſecum quatuor honorarias puellas, fideles ſocias ſuarum calamitatum. Cum illis ſe ipſam anguſta in domo concludit; cum illis dat nomen Ordini Tertio ſancti Franciſci.

Quid relinquatur & quid offeratur Deo ab iis qui Religionis ſtatum amplectuntur.

Qui Religionem ingreditur, Deo magnum efficit Sacrificium. Mundus omnino relinquitur; relinquitur per ſtatum, ac profeſſionem, relinquitur denique in æternum. Omnino relinquitur; non enim bonis tantum abrenuntiatur, ſed votis, ſed juribus, & ſibi etiam ipſi. Per ſtatum relinquitur, quia nemo a mundo in Religionem ſe recipit, quin palam profiteatur Evangelicam paupertatem, & humilitatem. In æternum relinquitur, quia vota nuncupantur, quæ nullo modo poſſunt antiquari. Utinam liceret mihi omnia vobis explicare bona, quæ comitantur ingreſſum Eliſabeth in Religionem. Dico ſolum Sanctam hanc eminere, quia primam geſtavit coronam, quæ in S. Franciſci Ordinem ingreſſa eſt, videlicet: quia hæc prima fuit, quæ honores, opeſque ſuas Ordini pauperrimo, & humillimo, qui in Eccleſia vigeat, immolaverit.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, recentioribuſque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Ortus & educatio S. Eliſabeth.

GEnus quidem illam conſtituit Pannonici Regis filiam, eamque exornavit bonis omnibus mentis & corporis, quæ optanda videntur; & annos quatuor nata ablata fuit ex ædibus patriis, ut aliena educaretur in aula, donec viro par eſſet, mox conjux futura Landgravii Turingiæ, qui inter ceteros Germaniæ Principes & viribus, & ditionis ſuæ magnitudine eminebat, inſignis quoque propter cognationem cum pluribus Imperatoribus, & qui ipſe quoque fuiſſet Imperator, niſi mors in ipſo ætatis ſuæ flore illum præripuiſſet. In hac aula profecto felix illud ingenium, quod Eliſabeth ad virtutem nacta fuerat, & pietatis ſemina, quæ jam in illa emicabant, jugulata fuiſſent prava educatione, quæ illi fuit procurata; niſi cæleſtis gratia validior fuiſſet, eamque ſuſtinuiſſet contra aulicorum irriſiones, & contra invidiam Sororis viri ſui, quæ ferre non poterat lucem virtutis hujus orientis, & pietatis, quæ cum noſtra Principe orta videbatur; vel quæ ſaltem rationis uſum prævertiſſe videbatur; quandoquidem licet adhuc eſſet puella, abhorrebat tamen a ſtudiis ætatis illius, quæ ſolatiis dat operam; & unice vacabat, ut ad Altarium pedes procumberet, & manus, oculoſque in cælum attolleret, jam tunc ſignificans, quo cor ejus tenderet, & in quo ſpem ſuam collocaret. Cum cogebatur recreari una cum ſodalibus, quæ ſecum alebantur, clanculum aufugiebat, & ſeſe recipiebat in aulæ ſacellum oratura. Prout adoleſcebat, pietas ejus novis augebatur incrementis. Somni finis erat orationis initium in qua majorem noctis partem genibus flexis tranſigebat, & præter ſacrificium veſpertinum, & matutinum, quod immolabat Deo ferventi oratione, tota die Deo vacabat unice, neque aliam admittere poterat converſationem.

Sequitur idem educationis argumentum.

Ab ipſa pueritia deſponſata fuit Landgravio Turingiæ, & cum quartum ageret ætatis annum in aulam accerſita innutrita fuit una cum Sorore Viri ſui, ſed prævenit illam Deus in benedictionibus dulcedinis. Licet puella, ſentiebat tamen Dei magnitudinem, ejuſque præſentiam reverebatur. Cum Eccleſiam ingrederentur, earum capitibus inſerebantur aureæ coronæ lapillis pretioſis renidentes; ducebat illas juvenis Landgravii mater, at ſimul ac ingrediebantur, Eliſabeth capiti ſuo coronam auferebat, cumque ideo redargueretur, abſit, reſpondebat illa, abſit me unquam prodire coronato capite coram Deo ſpinis coronato, & propter amorem mei cruci confixo. Princeps hæc Adoleſcentula in ipſo ætatis flore amicta ſignis ſui principatus in aula florentiſſima omnium ſibi admirationem conciliavit. Non niſi de virtutibus ejus, de modeſtia, & ſapientia ejuſdem ſermo habebatur; & tenera ejus pietas in admirationem aulicos omnes pertraxerat.

Deus illi ſanctia immiſit ad virtutem ſtudia.

Quam felix eſt, cui ſortito obtigit anima ultro in bonum inclinata, quæ ſuapte natura malum odit, & quæ in corde ſuo geſtat Evangelium alte adeo inſculptum, ut nulla unquam vi inde valeat abradi, non dæmonum dolis, non pravorum exemplorum illecebris, non impiorum ſermonibus, non prava educatione. Vaga hæc lineamenta, quæ virtutem adeo perfectam conſtituunt, ut in imagine tantum eſſe videatur, verus tamen eſt character Eliſabeth Principis Turingiæ. Quoniam Dei lex ſemper inſculpta fuit in corde illius, & ex quo agnovit Creatorem ſuum, illum ſemper obſervavit, & coluit. Quando vero illum cognoſcere cœpit? nonne ubi vivere cœpit? Gratia rationem prævenit, ut illi ſuppleret, & virgo hæc princeps ſemet a pueritia ſanctificavit, ſemet conſecrans Deo devotione adeo perfecta, ut nihil in vitæ ſuæ curriculo interpellare, vel remorare potuerit ejus pietatem. Adeo rectum erat cor illius, & ſtudia ejus beata. Fruſtra aulæ ſplendor offert illi quidquid in mundo beatius occurrit; fruſtra Satanas utitur prava eorum educatione, quibus illius inſtituendæ cura fuerat concredita; fruſtra mundus ſeductor illam pravis conatur fallere exemplis, illam pomparum ſuarum ſpectaculo ſollicitat: Nihil delere poteſt Evangelium Dei digito ſcriptum in corde illius. *Recens Auctor.*

Virtus ejus inconcuſſa.

Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum. (*Pſ.* 1.) Beatior, qui eorum conſiliis, atque tentationibus reſtitit. Hoc ſolidæ virtutis indicium eſt, & animæ, quam validiſſimæ gratiæ prævenerunt. Numquid hæc non eſt ex maximis Eliſabeth, cujus elogium teximus, prærogativis? Sæculum exhibet illi opes & honores ſuos; illa vero omnibus abrenuntiat ſæculi deſideriis, non quidem ſeſe recipiens in ſolitudinem, ſed in eodem ſæculo, de quo agit triumphum. Verſatur illa in aulæ tumultu, ubi omnes cupiditates ſuum regnum conſtituunt, atque tot inveniunt mancipia, quot ſunt aulici; ſibique ædificat in corde ſuo ſolitudinem, ubi colligens quidquid virtutis habet, ſibi non cavet ſolum ab alienis affectionibus, verum etiam a ſtrepitu, atque tumultu mundi; & ſubinde fugiens alia ſolatia, invenitur proſtrata ad pedes Jeſu Chriſti per intervalla hæc oſtendens, quod ſemper in imo corde efficiebat, ubi tanquam in quodam veluti Sanctuario incolebat, ubi ſub oculis Patris cæleſtis immolabat illi quidquid acceperat ab illo, & quod mundus ab illa conabatur auferre, ſed fruſtra, quoniam illa fuit ex eorum beatorum numero, qui nunquam in latam abiere viam acti conciliis impiorum, ſed conſtanter reſtitit, ita ut eos ad deſperationem redigeret, fore ut nunquam contra illam prævalerent: *Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum. Idem.*

Quo in contemptu haberetur in aula Landgravii.

Si in alienis aulis maximo haberetur in pretio adoleſcentulæ Principis noſtræ virtus; hoc tamen alio prorſus modo in aula Turingiæ accidebat; & odium, quod in illam gliſcebat, nihil inauſum, ac intentatum reliquit, ut laus in dedecus verteretur. Tandem enim vos ipſi conjectando intelligere poteſtis, utrum aulici hoc ferre poſſent ingenium; an opus fuerit probatiſſima fidelitate, ut juges horum irriſiones, & illorum contemptus negligerentur. Nemo unus ex domeſticis erat, qui ſibi gloriæ non verteret quotidie aliquod illi probrum inferre ea mente, ut animum ejus ad mundi mores, conſuetudineſque flecteret, eamque evocaret ab hoc ſtudio pietatis, quod parum decere putabatur eam dignitatem, ad quam erat deſtinata. Alii, puta, ſoror Viri ſui, & qui propius ad Landgravii cognationem accedebant, improbitatem ſuam longius proferentes, omnes illius actiones veneno inficiebant, eaſque pro virili in deteriorem ſenſum vertebant diſturbaturi ejus cum Adoleſcentulo Principe nuptias, nihilque inauſum relinquebant, ut pio viro odium, & horrorem immitterent. Omnes qui miniſtrabant illi, totidem erant exploratores; qui tamen in illa niſi pietatem, ſuavitatem, & erga omnes humanitatem nacti, maximo dolore afficiebantur videntes ſibi adoleſcere Dominam, quæ Aulam in Cœnobium converteret, & proſcriberet aleam, pompam, & ſolatia, propter quæ Turingiæ Aula omnium Germaniæ totius habebatur elegantiſſima. Movebatur quidem Eliſabeth amariſſimis irriſionibus; ſed fidelis erat Deo, & nunquam vel hominum metus, vel eorum contemptus, vel præjudicia, quæ aulici inferebant dicteriis ſuis ejus nomini, prohibere potuerunt quominus ſeſe exerceret pietatis operibus, quæ nunquam intermiſit, quidquid alii effutirent.

Primũ virtutis ſpecimen fuit humanarum rationum victoria.

Itaque primum quod edidit virtutis ſuæ ſpecimen, fuit referre triumphum de nequiſſimo, infeſtiſſimoque Sanctitatis inimico, humano videlicet reſpectu, & pudore, quo ſuffundimur, cum nos pro Deo ſtare profitemur. Hæc prima pugna eſt, qua dæmon laceſſit eos, qui incipiunt ſeſe devovere Deo, & qui pietatem amplectuntur. Sed hic conjicere poſſumus, quantum Sancta noſtra in virtute proceſſerit, cum inimicum adeo terribilem devicerit, & jam abſolutiſſimum egerit de mundo triumphum; qui cum nos illecebris ſuis fallere nequeat, nos aggreditur, & perſequitur dicteriis, contumeliis, atque cenſuris. Victoria autem hæc adeo cumulata fuit, & abſoluta in S. Eliſabeth, ut videretur id unum tantum ſibi propoſuiſſe, ut mundum pedibus ſuis calcaret; omnibus ejuſdem placitis ſe ſe objicere, & viam ab illius viis plane abhorrentem conſectari. Nulla huic potior voluptas eſt, quam inviſere pauperes, eos erudire, opellam in abjectiſſimis etiam officiis ſuam illis præſtare. Omnibus vacat pietatis officiis, ac tandem contigit illi, quod unum maxime optabat, ut ex Aula procul licentiam, impietatem, aleam, omniaque eliminaret mala, quæ in aliorum Regum aulis paſſim dominantur, ubi illis accedit auctoritas, & exemplum eorum, qui omnium regulam, legemque conſtituunt. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Eliſabeth uxor Landgravii Turingiæ ſanctam vitam ducit.

Cum hæc Princeps Virgo nupſit Landgravio, qui tunc temporis unus habebatur ex potentiſſimis Europæ principibus, illa ſanctam vitam ducere perrexit, & oſtendit, a Deo nullam a regno cælorum conditionem excludi; nam ſicut Rex Propheta loquitur: *Deus aufert ſpiritum Principum*, (*Pſal.* 75.) videlicet celſitudinis, ac dominationis a nullo pendentis, ubi illos ad ſui ſequelam evocaverit. Neque enim ſolum Chriſtianæ humilitatis ſenſus ſervavit in celſitudine ſua, ſed geſſit ſemper de ſemet ipſa abjectiſſimum ſenſum, cum omnia illi ſuperbiæ argumen-